



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Bernardini Scardaeonii Patauini Presbyteri de Castitate Libri Septem

Scardeone, Bernardino

Venetiis, 1542

Minime decere uirum ad menstruatam uxorem accedere, aut puerperio
decubantem cap. viii

urn:nbn:de:hbz:466:1-30433

DE PVDICITIA MATRIMONII

hoc loco reticendum . Si causa, inquit, procreandorum filiorum ducitur uxor, non multum tempus uidetur concedi ad ipsius usum, quia dies festi, et dies processionis, et ipsa conceptus, partusq; ratio, iuxta legē cessare usum carnis his debere temporibus demonstrant . Hæc ille. Quid si uir senex fuerit, & mulier anus turpe est sane letuere eos amplius coniugio, & uacare libidini : quos decet uel fouere senectam uel spiritualibus studiis inhaerere, carnis uoluptate omnino reiecta.

Minime decere uirum ad menstruatam uxorem accedere, uel puerperio decubantem. Cap. VIII.

CAuendum insuper maritis est, uel in primis, ne uolo pacto uxorem menstruo profluuiio laborantem, aliis uel male affectam morbis adeant: ne forte præterquam quod sordidissimum, atque inhumanum est concepti etiam eo tempore foetus uitio corrupti sanguinis & ipsi male afficiantur, & lepram, foedam ut scabiem contrahant, allaturam partibus multas molestias, & magna, atque longa fastidia. Hinc est enim ut ædi plerumque uideamus partus uariis & inuitatis morbis obnoxiosos cæcos, mutilos, claudos aliave quapiam deformitate et ipsos statim partu notabiles, Id autem adeo abominabile olim in ueteri testamento fuisse comperimus, ut etiam am Moses lege cauerit, ne quis prorsus cum muliere fluxum menstruum patiente misceretur alioqui ambo interficerentur. Et similiter purgationi post partum purificatione eodē auctore præscripti sunt dies, quibus ad uxorem nemini licitum esset accedere . Indecorum est, namque indignum honesto uiro, nec abest credo a magno flagitio, per hæc tempora tam male affectis uxoribus commisceri, atque eas foede antequam inundatio illa profluuii sanguinis effluat uenereo opere atrectare . Sed etiã si gerat

Leuit. 20.
Ibidē. 12.

uxor utero (nisi fornicationis metus aliter suadeat) pudicos cōiuges sese à concubitu continere par est: sicut legitur de Zenobia Perfarū regina Odenatī regis uxore, quātate fuit continentia, ut nunquā nisi tentatis cōceptionibus admiserit uirū. Nā hæc quū semel cōcubuisset expectatis mēsis continebat, si forte grauida foret, ut si minus rursus quærēdis liberis opam daret. Fuit hæc una omnium foeminarū sane animo, & fortitudine plusquā uirili, et ad arma potius, quā ad colū, aut fusum genita: uicquā deo ut Aurelianus Augustus de ea multo labore in plio suo perata, non erubuit Romæ agere tanquā de potentissimo rege triumphum. Cæterū non est hæc in ea tanta continentia à foeminis in exemplum trahenda, sicut nec in praeliis. Id tamē uirorū potius officium esse putarē, quā foeminarum: attamen nō præstandum, nisi ex consensu mutuo, et quatenus ita res poscat, et uxor nō queratur. In his, nō ius est mutuū, & ppter imbecilitatem utriusque sexus, nō minus hic præsto esse debet obsequium uiri, quā foeminae ne quid interim matrimonialis pudicitia detrimenti patiantur. Nulla ergo lex præscribitur cuiquam in ea re, quoniam uxor non habet potestatem sui corporis (ut docet Apostolus) sed uir, et similiter nec uir non habet ius sui corporis, sed uxor. Quamobrem sit honorabile cōnubium in omnibus, & torus immaculatus, a motis inde procul abominandis libidinibus in quibus (ut diximus) nec uxor marito, nec maritus uxori ulla obsequii lege tenetur. Admonere hæc superfluum uideri potuisset, si pudicis, & honestis tantum coniugibus scriberemus, & non potius foedis, & adulteris, ut corrigantur, quibus nihil tam nefarium est, quod uitandum putent, nihilque tam abominabile, quod horreant: modo suam nefariam, furiosamque libidinem expleant.

Quam sobrii esse debeant, qui liberis procreandis dant operam.

Cap. IX.

EE ii